



Ratbodus Germanus literis & uirtutibus insignis fuit. Habuit is præceptorem Nannem philosophū doctissimum. sub quo breui tempore in omnibus disciplinis ita pfecit, ut magna autoritate postea in Caroli Grossi Imperatoris aquila aduocatum ageret. deinde uero litiū pertensus monasterium ingressus est, ut ocium literariorum sequeretur. ibi sanctam uitam instituit, & S. Martini, Bonifacij, & Vuillebrodi uitam cum alijs Homelijis conscripsit. Vnde factum cum sedes Traiectensis uracaret, ut communi suffragio eius loci decimusquartus Episcopus electus fuerit, anno circa noningentesimo. Is ergo officij sui mem or magna prudentia eam Ecclesiam per annos septendecim fœliciter gubernauit, eo nimirum tempore cum Hungari & Dani grauiter Ecclesiam perseque rentur. Itaq; uiuus & mortuus multis miraculis claruisse dicitur. Obiit tādem cum uarios cantus in sanctorum honorem composuisset, atq; apud Dauentriam, ubi Episcopus ipse refederat, sepulturæ traditur. Trit.